DE

MORBIS, QUI EX URETHRAE STRICTURA ORIGINEM TRAHUNT.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI

CUM

VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD SUMMOS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE ADIPISCENDOS

DIE XVII. MENS. DECEMBR. ANNI MDCCCLXIII

UNA CUM THESIBUS

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

FERDINANDUS CHOMSE

GRUDENTINUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT:

H. FRIEDRICH, DR. MED. PRACT.

A. WEYHE, CAND. MED.

HALIS SAXONUM,

TYPIS ORPHANOTROPHEI.

Affectiones varias, quae ex urethrae stricturis originem trahunt, disserendas mihi proposui, quod in policlinico, quo nostra excellit facultas, occasio nonnullos ad hanc rem pertinentes casus observandi mihi haud defuit. Iam Dr. Taeufert, viro doctissimo et humanissimo, ex intima animi sententia gratias ago: qui notas de exemplis morbi de quo disseram, ab ipso collectas, benigne mecum communicaverit.

In strictura urethrae coartatio in una vel compluribus canalis partibus perpetua intelligenda est; quae textura pathologica in parietibus illius vel proximo earum circuitu existit. Differunt quidem inter se

Stricturae notionis principalis — organicae — et
Stricturae notionis auctae — mechanicae.

In illis omnes habentur stricturae, quae ex commutata urethrae ipsius structura oriuntur: quam mutationem praeter abnormes formationes raro innatas, vulnera cum cuius libet speciei tum cathetere vel specillo incaute im-

missis inflicta efficiunt. Idem de inflammationibus et in tunica mucosa urethrae existentibus et profundius penetrantibus, scilicet de gonorrhoea constat: immo vero dubitandum non est, quin gonorrhoea chronica creberrime organicam urethrae stricturam efficiat. Degeneratione enim tunicae mucosae, quae inflammatione nascitur, et tela cellulosa large crescente eiusque lenta retractione lumen urethrae magnopere coartatur. Quod aeque de ulceribus valet in urethrae tunica mucosa natis, sive siphylitici sive alius generis sunt, quorum sanatione firma, fibrosa, cicatricosa textura fingitur, qua parietes urethrae vel in una vel in compluribus partibus contrahuntur eiusque coartatur lumen. Denique rarae stricturarum organicarum causae nominanda sunt carcinomata urethrae et polypi tunicae mucosae.

Stricturae quas supra dixi „notionis auctae“, mechanica obstructione vel compressione urethrae efficiuntur: obstruitur enim urethra cum alienis corporibus tum calculis vesicae urinariae; comprimitur vero variis vel bonis vel malignis in circuitu suo tuberibus, quorum abscessus et hypertrophiae glandulae prostatae abscessusque perineales creberrime animadvertuntur. Sed cum neque quae variae stricturarum formae sint, neque in quibus urethrae partibus eae imprimis reperiantur, neque num complures in una urethra oriantur coartationes disquirere in consilio habeam

accuratius de hac re se instrui cupientes ad copiosas de hac materia conscriptas litteras delego. Sunt vero libri: Cooper, Hunter, Baille, Howship, Arnoth, Home, Allan, Arntzenius, Victor Perrève, Cruvielhier, Mercièr, Leroy d'Etiolles, Amussat, Bartel, Lisfranc, Ch. Bell, Ducamp, Laennec, Iohn Harrison, Sam. Vilmot, Rheybard, Blandin, Ivánchich, Hann, Lallemand et praecipue Blasius et Seydel.

Omnes stricturae, sive organicae sive mechanicae sunt, effluvium urinae in vesica collectae difficilius non solum reddent, sed etiam interdum omnino impedient, quo in vesica et urethrae parte huic adversa primae mutationes statim effectae per se apparent. Primum quidem urethra post stricturam dilatatur ita ut nonnunquam in stricturae loco immediate in vesicam abire videatur, qualem dilatationem magnitudinem pomi aurantii habentem Brodie observavit. Et Chopart aegrotum se vidisse narrat, cuius urethra a glande usque ad scrotum in tuber urina expletum extensa fuerit; itidem Civiale Hann et Seydel urethram ad digiti crassitudinem dilatatam invenerunt. Praeterea tunica mucosa saepe post coartationem inflammata ulcera, carunculae, excavationes existunt. Leroy docet laxationem et ulcerationem post stricturam causam esse effluvii (quod minus coloratum et tenuius esse quam id in gonorrhoea infectione orta constat) in urethrae stricturis crebri. Saepe tamen hoc effluvium e glandula

prostata mittitur. Interdum urina, tunica mucosa post stricturam ulceribus discissa, in telam cellulosam ducitur et inflammationes graves, obdurationes, fistulas in scroto efficit; quas in potatore senili, cui saepius catheterem immisi, bene sanatas inveni. Raro ulceratio urethram solam corripit; interdum in stricturam quoque transit, qua deleta, si fortuna tibi faveat, perfectam, si minus bene res processit, temporariam stricturae sanationem adducit.

Iam maximo urinae pondere collecto vesica abnormi modo extendetur, quae extensio interdum eo procedit, ut vesica rumpatur, quod vero, cum urethra raro penitus occludatur, ad rara deligandum est symptomata. At paene semper abnormi extensione fasces musculi detrusoris discinduntur; tunc excavationes in vesica crumenae formam habentes existunt. Primum hypertrophizante musculari strato in modum musculorum, qui immodice tenduntur, paullatim perinde ac in stenosi ostiorum cordis eo pervenit res, ut musculatura vesicae impedimentum stricturae superet, urinamque prorsus emittat. Crescente autem impedimento et insuper musculorum strato degenerante, quod processu inflammationis a tunica mucosa ad musculos propagato saepius fieri solet, vesica succumbit impedimento et maior etiam redditur dilatatio: has esse res cordis affectionibus stenosi ostiorum ortis maxime similes quis non cernit? Quis porro vesicam parietibus suis immodice extensis facile inflammari non intelligit? id quod nimirum

potius dissolutio urinae longius in vesica remanentis perficit. Membrana enim mucosa ammoniaco in dissolutione existente affecta inflammatur. — Quod attinet ad inflammationem vesicae tunicae mucosae, illa speciem gerit vel catarrhalem, vel cruposam, vel diphteriticam; facile tunicam mucosam in tabem resolvit eiusque gangraenam efficit. Habet igitur tunica mucosa colorem alienum (modo subfuscum modo nigellum), hirta est, dissolutis inflammationis productis tecta. Denique inflammatio per musculorum stratum ad telam cellulosam et ad peritoneum proficiscens, pericystitem provocat, quae cum propria vi tum metastaticis abscessibus tum pyaemia vel totali peritoniti exitum mortalem adducere potest. — Ut origo et processus harum commutationum pathologicarum et anatomicarum, quae praxi confirmatae sunt, theoretice demonstrantur, sic mutationes functionales omnes in stricturis observatae ex ipsis theoretice ducuntur.

Primum quidem, quamdiu Detrusor tono valet, urina incitante perpetuus urinandi impetus existit, quem dolores vehementissimi extensione et inflammatione evocati sequuntur, a perinaeo ad anum evagantes. Tum urina in urethra impedita non ut plenus radius eiicitur sed tenuior effluit et formam gerens mutatam (quae vel fissa est vel torta). Morbo aucto vis radii effluentis urinae (quod maxime fit in compluribus stricturis) tantopere decrescit, ut inter crura urina sine ullo flexu humum cadat. Inter-

dum aegroti per urethram puncta et in ore exteriore pruritum animadvertunt; membrum etiam in urinando saepe intumescit; quae omnia urethra inflammata effecta esse opinor, quippe quae urina effluente iterum concitetur. Tum urina detrusore iam debilitato non omnis eiicietur, sed post urinam eiectam parte urethrae extensa, quae inter stricturam et vesicae sphincterem est, nonnihil urinae remanebit et paullatim destillabit. Si demum sphincter tono orbatus communis extensionis particeps fuerit, strictura iam sola imperfecte vesicam occludet, qua re contiuua urinae destillatio orietur: quae quidem nunquam fere liquida apparet, sed pro inflammatione modo epitheliis pituosis modo sanguine mixta. Interdum semen insuper coitu vel pollutionibus evocatum in urina invenitur, quod strictura impeditum, quominus eiiciatur, in vesicam penetrare oportebat. Si vero pituita, epithelia, sanguis coagulatus semen (quod quidem haud raro accidit) ante stricturam resideant, coartatio, quae adhuc partitiva fuerat, totalis fit, quo, transitu urinae non concesso, disuria primum in stranguriam tum in Ischuriam transibit.

Sed non solum ad urethram et vesicam effectus stricturae valent, quin etiam breve tantum tempus ea constante ad reliquam primum organi uropoetici partem, ad ureteres et renes, tum ad alia quoque remotiora organa pertinebunt. Ut enim inflammationes mucosarum tunicarum facile ad vicinas tunicas mucosas (inflammatio faucium

ad laryngem) propagantur, sic facile ureteres inflammata vesicae tunica mucosa inflammantur et renes, eoque magis cum ipsi etiam concitentur. Urina enim in renibus separata cum in vesicam nimis impletam defluere non possit in pelvibus renum et in ureteribus colligetur. Idem igitur, quem supra demonstravi, processus fit: primum utraque pars dilatatur, tum urina dissolvitur; et tensio et dissolutionis producta tunicam mucosam concitant, eiusque efficiunt inflammationem, quae postea glandulae substantiam corripit. Idcirco, quae urinam separat, renis functio turbatur. Et cum omnibus inflammationibus quodque organum abnormi sanguinis accumulatione amplificetur, renes vero solida capsula, Albuginea quae dicitur, inclusi sint, illi extensione impedita magnam patientur pressionem; qua re renum praecipue inflammatio vehementissimis doloribus coniuncta est, qui pro inflammationis via ab renibus per ureteres ad inguinalem regionem proficiscuntur. Iam in pyelonephriti suppurationes fistulas etc. existere nec minus omnes inflammationes febribus non vacare per se intelligitur. Hydronephrosis quae dicitur urina in ureteribus et renum pelvibus retenta, etiamsi renes non inflammentur, oriri non potest, cum retentio ex urethrae strictura perfecta semper in utroque est uretere nec minus in renum pelvibus. Quae cum ita forent, aegrotus aliis correptus morbi casibus prius periret quam Hydronephrosis exstitisset.

Denique omnes, qui post pyelitim et pyelonephritim accidere solent, morbi casus commorandi sunt; atque hi quidem sunt ei, qui renum functione turbata nituntur; quibus humoris copiam haud sufficientem separantibus fit, ut pars humoris in sanguine remanens fortius parietes vasorum sangiferorum premat, quo oedema, Anasarca, totalis postremo hydrops existant. Iam renum functione magis turbata, aegrotus uraemia affectus celerem subit mortem; neque hic processus in aliis organis metastaticos, qui creberrime in pulmonibus observantur, mortem adducere omittas; quorum processuum creberrimi sunt Oedema, emphysema pneumonia (praecipue infiltratio coagulata). Aegroti urethrae strictura tentati morosi et difficiles esse solent, saepius frigoribus corripiuntur, quae siccus calor et postremo sudores sequuntur, ita ut febris modo intermittat, modo remittat, quibuscum morbi symptomatibus turbationes intestinorum saepe coniunctae sunt. Inferiorum extremitatum paralyseos, quam Lallemand post stricturas ortam se observasse contendit, causam esse inflammationem, quae a renibus in texturam cellulosam et in medullam spinalem propagata fuerit, perscrutationes virorum doctissimorum recentis aetatis facile docent.

Hic exempla morbi supra explicati: Rahmus pannifex, sexaginta et quinque annos natus, homo antea sanus, ex viginti circiter annis, quin causam sciret, ex difficili minctione laborabat. Luce urinam moleste expressit aegro-

tus, noctu per extremos vitae annos usque ad annum 1861 sponte semper effluxit urina; quo anno luce etiam saepe retineri non potuit. Iam cum vehementissimis doloribus saepe urina prorsus retinetur; neque interest, utrum sedeat aegrotus, an cubet, an stet; nunquam calculae abscesserunt urinariae, nihil alieni in glande et pene sensit; interdum sanguine urina mixta fuit. Et narravit aegrotus, se extremos per annos noctu quoque urinam retinere potuisse, quae sua sponte semel tantum effluxerit; tunc dolores vehementiores redditos esse. Urina postremo acriter olebat, pungebat, colore erat subfusco, rubido: saepe ammoniaci odorem misit; in alvi eiectione magis magisque obstructa crebro in perinaeo vehementes dolores perpessus est. Aegrotus octo annis ante pneumonia laevi lateris affectum se fuisse dixit: tum se paullum tussivisse, pituitosa primum et alba sputa tum purulenta nunquam vero sanguine mixta eiecisse; spiritum se duxisse angustiorem; tamen praeterito etiam anno mille argenti thaleros facile tulisse.

Vires paullatim decrescebant. Saepe punctionem sub sterno, et temporariam, si diutius tussiverit, in hypochondriis sentiebat. Ex octo circiter hebdomadibus tussis, dyspnoea, pectoris dolores valde aucti sunt. Tum aegrotus sitim colligebat, ardescebat, inquiete dormiebat; simul urinae molestiae tantopere augebantur, ut per dies urinam dimittere non posset. Aegerrimis toleratis doloribus urina subito effluxit; tamen dolores in vesicae regione leviores

perdurabant. Scrutantes vesicam valde expletam invenimus, nec tamen aegroto pertinaciter resistenti catheterem applicavimus: ex hoc tempore semper expleta vesica reperiebatur. Urina destillabat, vel aegre retinebatur; dolores remanentes temporarie exacerbabant. Pectoris scrutatio parvas sonitus diversitates in utraque parte ostendebat: pars dextri lateris superior postica tympaniticum, pars antica sub clavicula versus laevum latus temperatum reddebant sonum; in laevo latere asper vesicularis spiritus bronchialibus et siccis et humidis strepitibus coniunctus audiebatur. Sputa multa, pure helvo mixta, discreta vehementer putent. Renes ventre valde dolente non contrectabantur; vesica semper inter umbilicum et symphisin extensa, nisi prorsus expleta est, clare percutitur. Per anum amplificata, valde dolens prostata contrectatur, quae in recti parietem prominet. Alvi deiectiones aegrotus semper duras sed haud crassas fuisse dicit. Dantur: fol. uv. urs., cataplasm. tepid. ad vesicam et perinaeum, laxantia, Opiata. Debilitas, dolores, tussis, sputa augescunt; pectoris laevum latus infra dolet, spiritus angustior redditur, sitis, insomniae existunt. Iam diei vicesimi tertii meridie in laeva parte usque ad costam octavam clare sonus tympaniticus, spiritus incertus audiuntur; vicesimo quarto mane sonitus usque ad angulum scapulae oppressus; in angulo scapulae et exspirium et inspirium bronchiale; partem versus inferiorem incertum inspirium, exspirium bronchiale auditur.

Pneumonia die vicesimo quinto et sexto solvi videtur; large sputa purulenta eiiciuntur, tamen pulsus (120—140) et spirationis (72) frequentia magis magisque crescit. Iam aegrotus temporarie inepta loquitur. Die vicesimo quinto etiam pedes, manus, os frigescere inceperant. Maxima iam dyspnoea, vehementes pectoris dolores, urinae et alvi eiectio tenuis et perpetua. Dici vicesimi sexti secunda post meridiem hora cum convulsionibus maxime laevae manus mortuus est.

Sectio.

Dexter pulmo in lobis superioribus tuberculosus cavernam habet clausam, nucis iuglandis fere magnitudinem gerentem. Laevi pulmonis lobus inferior in stadio splenisationis, aere haud prorsus orbatus est. Cor normale. Intestina multum sacco seroso turbata et inter se concreta sunt. Vesica fellea etiam cum intestino crasso cohaeret. Vesica urinaria, cuius summa pars cum ilium intestino telae cellulosae crassis funiculis concreta est, crassa et extensa contrectatur, longe supra symphysin porrigitur et turbida, purulenta, putente urina expleta est.

Superficies intima multis laciniis decoloribus tecta est. Trabeculae immodice explicatae et complures excavationes subhelvo pure impletae sunt. Orificium vesicae in pollicis crassitudinem dilatatum est. Catheter per urethram ductus in parte membranacea strictura impeditur, quominus in

vesicam penetret. Ren uterque auctus est et mollitus; pelves utriusque et ureteres magnopere extensi sunt (ureteres ad diametrum $^1/_2$''). Splen paene liquefactus. Hepar adiposum.

Kerst, sexaginta et quinque annos natus, vectigalium exactor emeritus, qui die sexto mensis Octb. anni 1861 nimium cerevisiae frigidae biberat, nocte eius diei dolores in vesicae circuitu sentiebat, neque mingere poterat: quod iam saepius sibi obtigisse narrat, semperque hanc molestiam sine medici auxilio quiete et calore sublatam esse. Quod etiam tum eventurum esse aegrotus sperans, octavo demum Octbr. die medicum arcessivit. Tum suspirans, aegerrimis doloribus cruciatus in lecto iacebat; os sudore tectum et pallidum, corporis temperatura circiter 31,0 aestimanda fuit; pulsus plenus et rigidus 108, respiratio 26. Venter tumefactus sub umbilico magis cavatus et dolorosus. Percussio in longitudinem dimidii digiti a symphysi sub umbilico sonitum vesicae submissum ostendit. Scrutantes per anum prostatam glandulam tumidam, eamque prementes dolorosam reperiebamus. Catheterismus dolores efficiebat et tentamine saepe frustra repetito demum argenteum catheterem in vesicam ducere poteramus. Tum post vel sub symphysi catheterem offendere sentire poteras. Per anum

contrectantibus nobis summus catheter in prostatam se intrusisse videbatur. Effluenti urinae putenti nonnihil puris et sanguinis admixtum fuit. Aegrotus urina emissa vehementer levatum se sensit, atque reliquam diei partem doloribus vacabat; sed multum cum bibisset (Infus. sem. lin., aqu. calc. lacte mixt.) vesica vespere denuo expleta, denuo cruciabatur doloribus. Nec tamen, quamvis saepe elastici et argentei catheteres adhiberentur, in vesicam penetrari potuit. Opera per duas paene horas frustra impensa calida — quod iam meridie factum erat — cataplasmata praescribebantur et, quo dolores lenirentur, morph. acet. gr. $^1/_6$. Noctu subito urina cruenta et putens erupit. Sed postridie iam hora nona, vesica denuo impleta urinari non potuit; catheterismus autem cum cathetere elastico et valde curvato perfacile evenit. Qua de causa Weber, vir illustrissimus, statuit medium prostatae lobum quasi operculum ante vesicae ostium consedisse catheterisque acumen maxime curvatum superiorem urethrae parietem transcurrens illum lobum transcessisse. Urina nunc multo sanguine et tabe mixta horrendum putuit. Inde ab eo tempore bis quotidie vesica cathetere facile applicato evacuatur, nec tamen sine doloribus, quibus aegrotus intrante cathetere prostaticam urethrae partem afficitur. Urina semper cruenta est, multam pituitam et puris corpuscula continet. Aegroti, quamvis vinum detur, infirmitas crescit. Cutis temperatura vix aucta, pulsus filo similis 120, respiratio 30 difficilis, humore

crepans. Vicesimo quinto die vesperi tam infirmus est, ut mors iam proxima nocte venire videatur. Mente sana caret, me non novit, obscure loquitur, difficulter devorat; liquor receptus cum strepitu in stomachum ruit; os subfrigidum est. Praescribuntur involutiones calefactae, maiores validi vini rubri et Chinini doses, Infus. Ipecacq. cum liqu. ammon. annis. Postridie mane valetudo melior, os calidius redditum est. Non omnino mente caret, sed de acribus spasticis doloribus queritur. Urina destillat; interdum instar fluminis aegroto valde cruciato abit. Nonnullis ei diebus ante, quo alvus obstructa evacuaretur, clysma iniectum fuerat. Chininum et vinum continuantur. Vehementes paroxysmi vesicae et alvi tenesmi oriuntur, quibus aegrotus, dimidia quaque hora defaecandi causa lectum frustra relinquere cogitur. Clysma continens cum tinctur. Op. simpl. ℈j praescribitur, quo inmisso magis etiam doloribus aegrotus cruciatur, ita ut parietes unguibus dissecet et lecti linteam discindat; tamen in tanta infirmitate narcotica dare periculosius videtur. Octavo demum decimo die viribus paullo confirmatis, cum dolores augescerent (vesicae regione pressa paullo mitigantur; cataplasmata non perferuntur) morph. acet. gr. $^1/_{12}$ pro dosi datum est. In urina minus nunc olente sed magnopere residente, sanguis coagulatus, pus fibratum, massae pituitae inveniebantur. Aegrotus dormit inter paroxysmos spasmi vesicae vix semihoram intermittentes, qui crebrius inde repetuntur.

Fomenta imponuntur, morphium repetitur, Chinium et vinum datur. Tentationes noctu vehementissimae sunt. Aegrotus ex nonnullis diebus medico hortante lac, ius carnis, infus. fol. uv. urs. bibit. Die vicesimo vesperi valetudo eius peracerba est: Cubat in lecto oculis semiapertis, e quibus lacrimae large fluunt. Os et extremitates subfrigidae sunt, pulsus minimus et filo similis. In pulmonibus strepitus quasi bullis ruptis ortus auditur. Respiratio 36.

Praescribuntur aegroto: Camph. trit. gr. 1 cum sacch. alb. gr. X doses quatuor, praeterea Chinium et vinum; morphium intermittitur; adhibetur etiam Infus. rad. Ipecacq. (℈j) ℥iv. Die vicesimo primo os et manus rursus tepuerunt; e vesica multus sanguis abit. Interdum aegrotus tussivit sed nihil eiecit. Frequentia respirationis 34.

Physicali pectoris scrutatione in antica parte strepitus bullis ruptis ortus animadvertebatur. Posticam partem scrutari per aegrotum non licet, qui tum die vicesimo secundo mane animam efflat.

Sectio.

Pulmones in superioribus et mediis lobis valde emphysematosi, modice oedematosi. Lobi inferiores subfusci, hepatisati. Pleura pulmonalis cum costali in utroque latere partim concreta est. Cor magnum et adiposum nonnullas in valvulis asperitates ostendit. Aorta est paullo

rigida. Vesica urinaria valde extensa aliquantum liquoris putentis continet. Superior eius pars tam putrida est ut digitus contrectans eam penetrat. Tunica mucosa glauco, diphteritico, putente 2‴ crasso exsudato tecta est, qua compluribus in locis deficiente decolor musculorum stratum apparet. Interdum in modum crumenae sublata incisione facta pus tenue emittit.

Prostata cum medio lobo in urethram prominens cathetere offenditur. Ureter uterque purulento liquore expletus est. Renum pelves dilatatae simul cum calicibus sunt, in quibus massa tenuis subviridis puris invenitur. In laevi renis parenchymate nonnulli maiores et minores abscessus sunt.

Ferdinand Maass, Hettstaedensis, triginta et novem annos natus, typotheta, puer tantum morbillis, ante octo annos per quatuordecim dies gonorrhoea laboraverat, quae quin ulla secuta esset aegrotatio consanuerat. Saepius etiam catarrhis affectus fuerat et a puerili aetate asthmaticus multum tussiebat. Mense anni proximi Septbr. non antecessa tussi sine ulla intentione copiam sanguinis satis magnam cum pectoris coctione et laryngis titillatione eiecerat. Tamen a negotiis non abstiterat. Duarum die-

rum intervallo tentatio bis redierat et per tres dies in sputis purulentis sanguinis taeniae apparuerant. Aegrotus usque ad diem April. mens. vicesimum negotiis suis operam dederat, quo die, cum pedes tumuissent, lecto affixus est. Nec frigus nec calorem, matutinos autem sudores et sitim vehementem iam longius per tempus conquerebatur. Macritudo et debilitas valde crescentes; magna lassitudo, caput clarum, somnus tranquillus, appetitus bonus; faeces, quae secundo quoque die eiiciuntur, crassae, nulla cordis palpatio. Circiter octo dies post tentationem haemoptoicam subito spontanea minctio exstitit, quae inde usque ad hoc tempus quotidie saepius repetita est. Saepius diei $\frac{\alpha}{\beta}$ urinae, quin impediri possit, effluit; neque in minctione dolores sentiuntur. Nulla est destillatio; urina turbida, putens, floccis albis mixta, urens. Lumborum dolores deficiunt, per ureteres ante breve vix tempus exstiterunt. Praeter pedes oedema nullum, quo etiam os vacat; punctio in plantis. Iam pedum oedema cubatione multo minutum est. Aegroti, qui est in meliore conditione, pater febri nervosa, mater carbunculo obiit. Curabatur ante a Dr. Rupprecht medico. Inspectione accuratiore corporis instituta reperta sunt haec:

Mens sana, lingua normalis.

Corpus satis longum, normali structura, male nutritum; cutis tenuis, sicca, minus firme affixa; musculatura et stratum adiposum tenue.

Caput normale.

Oris color normalis, lineamenta tranquilla; pupillae pariter reagentes; labia rubra; lingua humida, pura, rubra; postica pharyngis paries sicca.

Collum bene structum; antici qui spirationem efficiunt musculi valde prominent; pulsatio fortis, extensa et conspicua; venae non turgidae; glandulae haud tumidae; carotidum soni puri. Thorax longus, latus et profundus, dolio similis, in superiore parte paullo fornicatus; costarum insertiones magnopere eminentes; earum intervalla ampla, congruuntur fornicata; angulus sterni et clavicula modice procedentes; in dextro latere infra iecur procedit. Spiratio tranquilla, aequalis, paullo acutior; exspirium in utroque latere par, productum, cum strepitu sicco coniunctum. Percussio normalis, in utraque parte par.

Cordis fines percussione haud certo reperiuntur, nec impulsus nec motio animadvertitur. Soni ut e longinquo praeterea puri audiuntur.

Iecur a septima costa thoracis marginem quatuor digitos transgreditur ($9^1/_2$, 12, 13 Cm.), in laevo latere superat lineam medianam; margo obtusus; superficies laevis.

Abdomen aequabiliter in omnibus partibus tensum, tympaniticum, digito prementi vehementer resistens. In regione vesicae urinariae dolores nonnulli.

Splenis fines percussione non definiuntur.

Tergum: dextera pars inferior prominet, ceterum bene structum; columna vertebralis recta, dolor nullus. Percussio in dextera superiore parte paullo brevior et altior quam in laeva, ceterum normalis. Spiratio vesicularis undique fortior; illic rhonchi sonori, hic inspiratio asperior. Vocis fremitus in utraque parte par.

Genitalia; in urethrae orificio laeves excoriationes.

Extremitates normales.

Sputa purulenta, pituitosa, laevia, haud confluentia.

Urina turbida, valde residens, nonnihil albuminis continens, numerosaque puris corpuscula, ceterum normalis.

Singula symptomata, quae quotidie in protracto morbi decursu animadversa sunt, explicare cum longum sit, res tantum maioris momenti e notis eligam:

Usque ad diem XX mane pulsus, temperaturae, respirationis parvae mutationes; post meridiem paullum frigoris; stomachi dolores crepitu coniuncti existunt; alvi deiectio pulti similis. Thorax supra dextram claviculam tympaniticus, ceterum normalis; in parte postica dextra usque ad scapulam mediam temperatio; spiratio fortior, singulis in locis gravibus et claris rhonchis coniuncta. Abdomen tumidum, crepans. Urina (600) turbidissima.

Die XXI post meridiem: Magnus calor, tussis deest. In parte postica superiore dextri lateris percussio tempe-

rata, bronchialis fere spiratio; vox ibidem magnopere aucta; urina flava, turbidior.

Die XXIV: In parte dextra postica usque ad mediam scapulam percussio temperata; supra spiratio bronchialis claris altis rhonchis coniuncta, vox bronchialis. In parte dextra antica et in clavicula percussio temperata; spiratio fortior, fere bronchialis. Eiectiones duae pulti similes.

Die XXX: Catheter mane immittitur; strictura in parte membranacea, quae urina superari non potest, invenitur; catheter semihoram in urethra relinquitur; tormina in urethra; urina destillare desivit, magnopere residit (400). In thoracis parte postica superiore percussio temperata utrimque; utrimque spiratio fortior bronchiali exspiratione coniuncta; vox bronchialis; excrementa tenuia; appetitus laudabilis.

Iunii mensis.

Die I: Catheter No. II facilius inducitur.

Die III: Vehemens urinandi impetus; cathetere No. II applicato urina effluit (400).

Die VIII: Cardialgia, quae maxima est, si in latere incubat aegrotus. Abdomen valde dolorosum, undique tympaniticum, infra minus tumefactum. Tussis deest; appetitus mediocris.

Die IX: Abdominis pars laeva infra dolorosa; percussio diffuse temperata. Somnus non multus, paulus sudor.

Die XIII: Leves pedum dolores.

Die XIV: Pedum dolores remittunt; magni in mingendo dolores.

Die XVI: Somnus inquietus; caput doloribus vacat; aegrotus multum somniat, nihil loquitur; mane octava hora anima defecit. Os pallidum, mens extincta; vehementes membrorum convulsiones, quas non sentit aegrotus; postea se bene habet. Post meridiem: Vehemens frigus per horam durans, tum sudor; in frigore vehementes lumborum et pectoris dolores. Thorax dexter inferior paullum resedit; percussio submissior hic quam in laeva parte auditur; lien amplificatus videtur. Vehemens sitis. Vertigo et capitis dolores deficiunt. Os cyanoticum valde rubet.

Die XVIII: Urethra in omnibus partibus dolet praecipue in mingendo.

Die XIX: Frigoris vehementibus tentationibus per semi horam percutitur; tum siccus calor. Nullus capitis dolor; per totam urethram magni dolores. Praeputium paullum oedematosum. Perinaeum in sedendo dolet. Urina (500) turbida. Post meridiem multum dormiit, multum sudavit. Os leviter rubet. Lente respondet; sensorium clarum; lingua occupata, pulsus plenus, mollis. Urina haud diu retineri potest; subito et praeter exspectationem effluit. Prostata magna, crassa, dolorosa.

Iulii mensis.

Die XIV: Tussis molesta; in utroque pulmone graves sicci rhonchi; in parte dextra postica supra temperata percussio; spiratio incerta; dolores urethrae.

Die XIX mane: Puls. 116, Resp. 32, T. 28,8; Bene dormiit; appetitus paullo melior; dolores urethrae; minctio expeditior; largus sudor, tussis; sputorum eiectio modica; nulla dyspnoea; excrementa crassa. Post merid.: Puls. 104, Resp. 44. T. 30,6. Mala valetudo, tussis crucians; facies pallida, marcida; pulsus exiguus, filo similis; sputa haud crebra, pituitosa, purulenta, cruenta. In antica parte fortior undique vesicularis spiratio; nulli rhonchi; percussio normalis; Levis urethrae dolor; urina (400) valde dissoluta multum sanguinem continet; interdum sanguis purus ex urethra effluit.

Die XX P. 120, Rep. 28, T. 29. Aegrotus dormit; multa tussis; pauca sputorum eiectio; pauci urethrae dolores, ex qua sanguis profuse effluit; urina valde dissoluta; excrementa crassa. Pedum digiti contacti dolent.

Die XXI P. 120, Resp. 40, T. 28,2. Somnus; post quem status quietus; nasus et extremitates frigidi; frigidi sudores; strepitus trachealis. Facies cyanotica, hippocratica; pulsus vix sensibilis; mens evanuit. Moritur mane hora decima.

Sectio.

Corpus magnopere macet, cutis pallidissima est, exigua mortis signa, nullus mortis rigor.

Thorax: Inferior pars laevi pulmonis paullum residet; dexteri pulmonis pars superior solida continet complures vomicas, tela cellulosa, indurata et callosa inclusas, quarum nonnullae habent iuglandis magnitudinem, quaeque cum bronchis et inter se communicant. In medii et inferioris lobi subtilibus et subtilissimis bronchis multi parvi noduli sunt; hi lobi aeris satis continent, modice sunt sanguinosi. Glandulae bronchiales haud tumidae; tunica mucosa bronchorum rubefacta, tuberosa, pituita tecta. Laevus pulmo in lobo superiore nonnullas minores cavernas similes illis in dextro latere ostendit; parvis etiam nodulis occupatus est. In inferiore margine inferioris lobi pars circumscripta valde emphysematosa est. Bronchorum et glandularum bronchialium par status ac in latere dextro.

Cor: Magnitudo normalis, endocardium turbidius; valvulae normales; caro rubra, solida.

Hepar: Magnitudo normalis; sanguinosum; species nuci moschatae similis; in convexa superficie cysta magnitudine nuclei cerasini (Echinococcus) invenitur.

Splen: valde auctus, solidus, subsplendidus; capsula laevis est.

Intestina: Tunica mucosa haud multum sanguine iniecta; placques paullum prominent; glandulae mesenteriales normales.

Stomachus: Nihil abnorme.

Renes: Laevus valde auctus; superior tantum pars eius est forma normali, inferior formam mali habet. Capsula vehementer condensata facile detrahitur. In parte superiore parenchyma prorsus evanuit, pro quo caverna diametro 3″ apparet. Haec laceratis parietibus inclusa et caseatas et tenues purulentasque particulas continet; inferioris renis parenchyma normale. Pelvis valde dilatata, cuius tunica mucosa decolor diphtheritico exsudato tecta est; cum illa caverna non communicat. Laevus ureter parietes magnopere condensatas ostendit; lumen modice dilatatum est; tunica mucosa decolor et diphtheritice infiltrata; ulcera etiam nonnulla. Dexter ren et ureter normales.

Vesica urinaria: Parva, contracta, parietes valde condensatae; tunica mucosa decolor, plicata, undique exsudato diphtheritico tecta est; complura praeterea diphtheritica ulcera rotunda forma reperiuntur.

Prostata: Pro hac omnino deficiente caverna decoloribus, fuscis massis expleta apparet; cuius parietes dilaceratae sunt. Haec recta via in vesicam, infra in urethram dilatatam transit, cuius tunica mucosa aequam habet speciem ac vesicae et cavernae supra commemoratae parietes. In ineunte parte cavernosa urethra admodum coartata est;

singulis in urethrae locis parva ulcera; glans et urethrae orificium valde excoriata; praeputium oedematosum. —

Quod sapientissime dicit proverbium, e parvis saepe magna proficisci, nostris etiam exemplis comprobatur. Plicatura enim vel minima in urethra, tuberculum in eius circuitu graves omnes, quos supra disserui, casus efficere possunt. Stultum esse censeo, qui morbum urethrae strictura ortum medicina curare studuerit: nunquam nisi causa morbi remota opportunum speres eventum. Itaque in omnibus, quicunque strictura accidere possunt, morbis medicus religiosus et anamnesi et iis, quibus adiuvetur scrutatio, instrumentis, imprimis cathetere utens tempestive persuasum sibi habeat necesse est, utrum adsit strictura necne. Tum loco, forma, soliditate aliisque stricturae notis cognitis omnibus artis medicinae auxiliis eam curari necesse est.

Iam venio ad enumerandas principales stricturarum sanandarum methodos: Antiquissima (quae primum ab Aldareto, professore Salamancae anno 1514 adhibita est) methodus longe optima est: Dilatatio urethrae cathetere elastico (Bougie) breve per tempus iniecto effecta stricturam efficacissime removet, nec tamen nisi in stricturis quae valvulae vel funis formam gerunt, adhibenda est. In quibus eam Civiale circiter post sex hebdomades sanationem efficere demonstrat.

Seydel vero postulat, ut catheter per intervallum tantum temporis, quod inter horae partem duodecimam et

semihoram est, in urethra retineatur. Dilatatio, quam cathetere longius per tempus imposito efficere volunt, sanationem celeriorem non solum non perficit sed complura etiam aegroto incommoda affert. Dilatationem per vim efficiendam, subtilem quidem et periculosam operationem Blasius (Beiträge p. 262. 263.) in stricturis, qui contractura exstiterunt, adhibendam esse docet. Si urinae simul est retentio, hanc operationem fieri necesse est. — Tum ustionem stricturae minus probo, quoniam cauterisationem superficialem difficulter perfici posse, magis penetrantem et interiores urethrae partes afficientem facile cicatrices efficere Blasius statuit, quae peiorem etiam reddant morbum. Si omnino dilatationi resistat strictura, instrumentis utaris secantibus. Profundiores incisuras, si Seydelum sequaris, et totam stricturam penetrantes scarificationibus praeferes, quae haud sufficientes perpetuam sanationem nunquam efficiant. (Arbeit von Seydel im Ausz. in Schmidts Jahrbüchern Bd. 84. p. 142.). Quod attinet ad directionem, qua strictura dissecanda sit, incisionem a parte antica ad partem posticam faciendam rationi contrariae antehabendam esse censeo. Tum perfecta cruenta dilatatione catheteres imponendi sunt haud crassiores, qui facile perducantur, ne tunica mucosa discindatur vel a tela subiacente separetur.

VITA.

Natus ego sum, Ferdinandus Chomse, Grudentinus, die mens. Octobr. X anni h. s. XXXVII Rudolpho et Franziska, e gente de Prondzynska, parentibus, quorum patrem morte mihi ereptum valde lugeo. Confessioni addictus sum evangelicae. Primis litterarum elementis domi instructus Gymnasium Dantiscanum primum tum Hallense, cui nomen est scholae latinae, frequentavi. Maturitatis testimonium nactus hanc almam litterarum universitatem Fridericianam petii. Scholis interfui hisce:

Illustr. Volkmann, de anatomia corporis humani, de arte cadavera rite dissecandi, de physiologia. Ill. Welker, de anatomia sensuum. Ill. Reil, de encyclopaedia. Ill. Heintz, de chemia experimentali, de chemiae theoria. Ill. v. Schlechtendal, de botanice. Ill. Knoblauch, de physice. Ill. Girard, de mineralogia. Ill. Schaller, de psychologia, de logice. Ill. Burmeister, de Zoologia. Ill. Vogel, de cutis morbis. Ill. Blasius, de chirurgia

generali et speciali, de aciurgia, de fracturis et luxationibus. Ill. Mann, de pathologia et therapia generali, de auscultatione et percussione. Beat. Hohl, de arte obstetricia. Ill. Krahmer, de pharmacologia.

Scholis clinicis interfui apud Ill. Blasius chirurgico-ophthalmiatricis; apud Ill. Vogel et Ill. Weber medicis; apud beat. Hohl et Ill. Olshausen obstetriciis.

Quibus omnibus praeceptoribus mihi carissimis optimeque de me meritis pio animo gratias ago quam maximas semperque habebo.

Iam vero tentamine tam philosophico quam medico nec non examine rigoroso rite superatis, spero fore, ut hac dissertatione thesibusque publice defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

I.

Gonorrhoea urethralis iniectionibus optime sanatur.

II.

Nullum graviditatis signum gravius quam pulsus cordis foetalis.

III.

Placentae solutio et expulsio post partum non semper naturae relinquenda est.